Quæstio Cardinal. agitan. In Scholis Medic. die Jovis 12ª Maii
D. Joanne Le Pescheur moder.

Estne Caput Arthritidis omnis Principium?

Oeconomiam Naturæ multa pervertunt Morbus scilicet, organicus, et communis. Morbi causa externa quæ movet internam plethoram scilicet et cacochymiam. Interior triplex, antecedens, coniuncta, continens. Sic et symptoma triplex. Actio læsa, immoderatio in excretis, retentis, affectusque præter naturam. Ad actionem læsam pertinet dolor, tristis sensus quem intemperies excitat, aut solutio continui. Natura vero imprimis molestus est arthriticus, quem non sicca et nuda intemperies facit, sed articuli tumor ex fluxione.

Fluxionis duo sunt extrema, unum a quo incipit, alterum in quo desinit. Etiamsi arthriticus fluor sæpe incipiat a capitis non tantum externis, sed internis partibus. Aliquando tamen qui abundat humor in venis transmittitur ad articulos, terminatque arthritis febres continuas. Colicis quoque et nephriticis doloribus quandoque succedunt arthritici, a colo aut renibus transmissa ad articulos morbi materia. Qui Baccho aut Venere (quorum ipse filia perhibetur arthritis) debilitantur, excipiendas fluxiones sunt opportuniores, eoque magis si hæreditaria sit imbecillitas, aut alia mala conformatio, vel balneorum usu frequentiore sint laxiores.

Non tantum calidus, sed et frigidus humor arthritidem committit, fieri enim potest ab omni humore, nam arthritide sanguinea plethorici cruciantur, solemni et consueta aliqua evacuatione suppressa: quæ plurimum adolescentes invadit rubente cute, si cantus tumor, sub hac quasi pungens, sub illa pulsans dolor percipitur quæ tertio quoque die secundum biliosi idiosyncrasiam exacerbatur. Hæc humidis tentantur æstate, si aeribus et calidis vexantur. quæ vero fit a pituita tumor est œdematosus, quo senes hyeme vexantur, et quotquot alimentis refrigerantibus humectantibusque liberalius utuntur. Arthritis melancholica rara est et insolens.

Remedia sunt Prophylactica potius, quam Therapeutica. Est enim arthritis morbus periodicus. In morbis autem periodicis anticipandus paroxysmus. Malignus humor qui ordinariis phlegmones et œdematis remediis non cedit, cum in ... est medicamentis solis serviat. Naturalis imbecillitas, vel quæ crapula, aut Venere contracta in nodosam arthritidem degeneravit est insanabilis: Venus præcavenda, vendidis et vini abstinentia. plethora venæ sectione evacuanda, cacochymia purganda cathartico, quod peccantem humorem ex articulis ipsis definite attrahat, cuiusmodi sunt pilulæ arthriticæ, et de hermodactylis. Exsiccandum corpus decocto ligni sancti, et laconico, aut sumptis et admotis roborandi.

Remedia quæ a morbis imminentibus præservant, eadem in præsentibus succurrunt, præscriptis itaque magnis et generalibus remediis ad causam antecedentem, fluxio repellenda, anodynis demulcendus dolor, vitatis narcoticis ne has partes imbecillas et frigidas nativum calorem extinguant. Optima sunt anodyna, primo quæ dolorem sedant, ut cataplasma ex lacte et vitellis ovorum cum mica panis, item ex cassiæ medulla: deinde quæ tollunt causam doloris cuiusmodi sunt quæ materiam coniunctam foras trahunt, resolvunt, simulque infirmos articulos confirmant, quod et sia adiunctas cum ovi vitello pilulas arthriticas et de hermodactylis præstabunt, aut cataplasma ex farinis resolventibus hordei, fabarum, ervi, fœnugræci; quod si a capite incipiat fluxio, pyrotico brachiis aut fontanellas admoto divertatur, alioqui sine profectu applicabitur.

Non est Igitur Caput Arthritidis omnis principium.

Asserebat Joannes De Lauernot Parisinus. 1590:

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE